

1529 tor, quo res, uti Senatui placebat, conficeretur, omnes ingenii, atque eloquentiæ nervos adhibuit; irritum tamen conatu, cum flectere, aut permollire Pontificis mentem haud quaquam potuisset. Qua de re certior factus Senatus, nihilque de pace ad exitum perducere posse animadverteret, Collegii Patres ad Senatum tulere, ut conditionibus pacis inter Imperatorem, ac Rempublicam restitui Pontifici Flaminiae urbes caveretur, illo adjecto, ut Venetorum jura in iis urbibus reservarentur. Adversus hoc Senatusconsultum Hieronymus Pefareus continentis Sapiens multa loquutus, Senatum ab urbibus tradendis abducere conatus est, neque quidquam ea in re decernendum esse, ni prius de reliquis pacis conditionibus actum esset; quibus absolutis, tum de Ravenna, ac Cervia restituendis statuendum esse. Hæc Pontifici, & Cæsari significari, insuperque testari placebat; nullo pacto Venetos passuros, ut Christianæ Reipublicæ atque Italiæ incolumitas, ac dignitas, Flaminiae urbium potiundarum studio impediretur, ac retardaretur. Verum re hinc, atque inde expensa, & discussa, rejecta Pefarei sententia est. Hæc ut Contarenus Pontifici, & Cæsari significaret, mandatum: gratias ambo Senatui egere, illiusque prudentiam, ac pietatem commendarunt.

*Senatus decretum de urbibus Flaminiae restituendis.*

*Apulia urbes a Venetis Cæsari traduntur.*

Inde firmioribus pacis jactis fundamentis, ut controversiæ cum Cæsare componerentur, major spes orta est; ac primum de Apuliæ urbibus agitatum, quæ, nisi Cæsari redderentur, nulla concordiæ ratio iniri poterat: ad eas vero tenendas iterum acerrimum cum Carolo ordiri bellum necesse erat. Itaque ut urbes Cæsari traderentur, decretum est: hac tamen conditione, ut illis, qui ad suas partes accessissent, parceretur, præteritaque omnia oblivioni mandarentur; vetera Venetorum in Neapolitano regno privilegia servarentur. Inter cetera vero, ut foedus percuteretur, Cæsar pro Mediolani propugnatione a Senatu petebat, ac bello Neapolitanis illato, Respublica subsidia mittere deberet. Senatus quod ad Insubres defendendos spectaret, se a pactis, quæ in tabulis pacis anni M. D. XXIII. continebantur, non recessurum affirmabat: quod vero ad Neapolitanum regnum tuendum, si illud Principes Christiani invaderent, quindecim triremibus adfuturum, eo adjecto, ut primum Franciscus Sfortia in avito imperio collocaretur. Hoc Senatusconsultum a Marco

Dan-